

et conscius meus in excelso ¹⁾). Et rursum: *Probavit me quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi et in sinu meo abscondi verba oris eius* ²⁾). Ob huiusmodi clamorem conversi ad

- 5 te et audientes simul claritatem proprię vocis tuę verba oris tui de illo nobilissimo et valde spectabili tuo agone, in quo confitebaris et collaudabas Deum salvatorem nostrum in medio ignis, in pressura flammę quę circumdabat te et perpendentes verba illius tuę confessionis digna vere quasi in statera ponderari ³⁾). Quid videmus in te, o anima
10 beatissima, nisi Sunamiten illam, quam dilectus amat clamans et dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te?* ⁴⁾ Quę nam est Sunamitis hęc nisi fides? Ista est quę expectabatur, ut reverteretur, quia pene disparuerat in hominibus, etenim fere omnes non in fide Abrahe, sed in carne gloriabantur ⁵⁾). Sicut aliquando Sara
15 libera, quia sterilis erat, despiciebatur et Agar ancilla, quia fecunda erat, eligebatur ⁶⁾, sic fides per quam iustificatus est Abraham, negligebatur et in lege secundum carnem fere omnes gloriabantur ⁷⁾ et ingenua fides quasi contemptibilis erat secundum nomen Sunamitis, quod interpretatur captiva sive despecta ⁸⁾). Sed reversa est et super terram apparuit
20 hęc libera, hęc nobilis, hęc filia principis ⁹⁾, scilicet Dei, quando credula virgo verbum suscipiens concepit et filium peperit, principem libertatis, primogenitum filiorum fidei, qui ex tunc per orbem terrarum multiplicati sunt et multiplicantur usque in finem seculi. Hęc in te loquebatur et hanc in te Christus intuebatur. Tyrannus autem eam non
25 videbat, manibus suis eam capere non poterat. Cum ambulares in igne, ipsa non comburebatur, unde verissime scriptum est: *et flamma non ardebit in te* ¹⁰⁾; quia ardebat flamma quidem extrinsecus, sed nullam operabatur lesionem intrinsecus. Qualiter ergo Sunamiten hanc in te videmus? Vere sicut mulierem fortem, in qua *confidit cor viri sui* ¹¹⁾
30 et quę inter cetera fortitudinis opera *Chananeo quoque cingulum tradidit* ¹²⁾, id est te abiectum in oculis tuis et humilem spiritu magnifice confortavit. Alioquin, o beatissime, cur flebas discedente Syxto cum aliis diaconibus suis ¹³⁾, nisi quia te ipsum quasi quendam Chananeum

¹⁾ Vgl. *Iob* 16, 20 ²⁾ *Iob* 23, 10—12 ³⁾ Vgl. *Acta Sanct.*, August II. (81867) 523 ff. ⁴⁾ *Cant.* 6, 12 ⁵⁾ Vgl. *Gal.* 6, 30; 2. *Cor.* 11, 18 ⁶⁾ *Gen.* 11, 30; 25, 21 ⁷⁾ Vgl. *Rom.* 2, 23; 2. *Cor.* 11, 18 ⁸⁾ *Haimo von Auxerre, Com. in Cant.* c. 6, *Migne, PL.* 117, 341 B nach *Ps. Cassiodor (Isidor?) Exp. in Cant.* 6, 12, *ibd.* 70, 1093 A; ähnlich *Beda, In Cant. alleg. expos. lib.* 5, c. 6, 28, *ibd.* 91, 1187 B ⁹⁾ *Cant.* 7, 1 ¹⁰⁾ *Isai.* 43, 2 ¹¹⁾ *Prov.* 31, 10—11 ¹²⁾ *ib.* 24 ¹³⁾ *Passio s. Xisti papae, ed. Mombricitus, Sanctuarium* (1910) S. 649 f.